



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] magnanimitas sit solu[m] circa magnos honores? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Utrum magnanimitas de sui ratione habeat quoddam sit circa magnum honorem?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod magnanimitas de sui ratione non habeat quod sit circa magnum honorem. Propria enim materia magnanimitatis est honor, ut * dictum est. Sed magnum & paruum accidunt honori. Ergo de ratione magnanimitatis non est quoddam sit circa magnum honorem.

¶ 2 Præterea, Sicut magnanimitas est circa honores, ita mansuetudo est circa iras. Sed non est de ratione mansuetudinis, quod sit circa iras magnas, vel paruas. Ergo etiam non est de ratione magnanimitatis quod sit circa magnos honores.

¶ 3 Præterea, Paruus honor minus distat à magno honore, quam exhonoriatio. Sed magnanimitas bene se habet circa exhonorationes. Ergo etiam & circa paruos honores. Non ergo est solum circa honores magnos.

SED contra est, quod * Philosophus dicit in 2. Ethic. quod magnanimitas est circa magnos honores.

RESPONDEO dicendum, quod secundum Philosophum * in 7. Physicor. virtus est perfectio quædam, & intelligitur esse perfectio potentie, ad cuius ultimum pertinet, ut patet in primo de celo. Perfectio autem potentie non attenditur in qualicumque operatione, sed in operatione quæ habet aliquam magnitudinem, aut difficultatem. Quilibet enim potentia, quantumcumque imperfecta, potest in aliquam operationem modicam, & debilem. Et ideo ad rationem virtutis pertinet, ut sit circa difficile, & magnum bonum, ut dicitur in * 2. Ethicor. Difficile autem, & magnum, quæ ad idem pertinent, in actu virtutis potest attendi dupliciter. Vno modo, ex parte rationis, in quantum scilicet difficile est medium rationis adiuuare, & in aliqua materia statuere. Et ista difficultas solum inuenitur in actu virtutum intellectualium, & etiam in actu iustitiæ. Alia autem difficultas est

644
Su q 60.
art. 5. co.
in f. senti q.
a. 4. ad 3.
q. 1. 10
a. 2 ad 2
Et 3. d 9
q. 1. ar. 1.
q. 8. co. ed
q. 3. ad 3
q. d. 33.
q. 1. a. 2.
co. fi.
* a. præc.

c. 7. ante me. to. 5.

to 17. q. 18. to. 2.

c. 3. in f. 10. 5.

la re
us a-
Res
exte-
um
atio
itum
tum
dū,
. Sic
sunt
is for
con-
a ho-

l ma-
con-
ui, sic
n re-
nabet

on fit
obie-
a. Et
pal-
circa
tum
n sunt

nnunt
is nil
ntur,
neret
igna-
gnani-
ere,
r pro

R.

ex parte materiæ, quæ de se repugnantiam habere potest ad modum rationis, qui est circa eam ponendus. Et ista difficultas præcipue attenditur in alijs virtutibus moralibus, quæ sunt circa passiones: quia passiones repugnant contra rationem, vt * Dionysius dicit 4. cap. de diuin. nom. Circa quas considerandum est, quòd quædam passiones sunt quæ habent magnam vim resistendi rationi, principaliter ex parte passionis: quædam verò principaliter ex parte rerum, quæ sunt obiecta passionum. Passiones autem non habent magnam vim repugnandi rationi, nisi fuerint vehementes: eo quòd appetitus sensitivus, in quo sunt passiones, naturaliter subditur rationi. Et ideo virtutes quæ sunt circa huiusmodi passiones non ponuntur, nisi circa id quod est magnum in ipsis passionibus. Sicut fortitudo est circa maximos timores, & audacias; temperantia autem circa maximarum delectationum concupiscentias; & similiter mansuetudo est circa maximas iras. Passiones autem quædam habent magnam vim repugnandi rationi, ex ipsis rebus exterioribus, quæ sunt passionum obiecta: sicut amor, vel cupiditas pecuniæ, siue honoris. Et in his oportet esse virtutem non solum circa id quod est maximum in eis, sed etiam circa mediocria, vel minora: quia res exterioris existentes, etiam si sint parvæ, sunt multum appetibiles, vt pote necessaria ad vitam hominis. Et ideo circa appetitum pecuniarum sunt duæ virtutes: vna quidem circa mediocres, vel moderatas, scilicet liberalitas: alia autem circa pecunias magnas, scilicet magnificentia. Similiter etiam & circa honores sunt duæ virtutes: vna quidem circa mediocres honores, quæ innominata est. Nominatur tamen ex suis extremis, quæ sunt philotimia, id est, amor honoris: & aphilotimia, id est, sine amore honoris. Laudatur enim quandoque qui amat honorem, quandoque autem qui non curat de honore: prout scilicet verumque moderatè fieri potest. Circa magnos autem honores est magnanimitas. Et ideo dicendum est, quòd

4. p. 4.
aliqua--
tulum à
prim.

quòd propria materia magnanimitatis, est magnus honor. Et ad ea tendit magnanimus, quæ sunt magno honore digna.

Ad primum ergo dicendum, quòd magnum, & paruum, per accidens se habent ad honorem secundum se consideratum. Sed magnam differentiam faciunt secundum quod comparantur ad rationem, cuius modum in usu honoris obseruari oportet: qui multo difficilius obseruatur in magnis honoribus, quàm in paruis.

Ad secundum dicendum, quòd in ira, & in alijs materijs, non habet difficultatem notabilem, nisi illud quod est maximum, circa quod solum oportet esse virtutem. Alia autem est ratio de diuitijs, & honoribus, quæ sunt res extra animam existentes.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui benè magnis vitur, multo magis potest benè vti paruis. Magnanimus ergo intendit magnos honores, sicut quibus est dignus: vel etiam sicut minores his quibus est dignus: quia scilicet virtus non potest sufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à Deo. Et ideo non extollitur ex magnis honoribus, quia non reputat eos supra se, sed magis eos contemnit: & multo magis moderatos, aut paruos. Et similiter etiam de honorationibus non frangitur, sed eas contemnit, vtpote quas reputat sibi indignè afferri.

ART. III.

Verum magnanimitas sit virtus?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quòd magnanimitas non sit virtus. Omnis enim virtus moralis in medio consistit. Sed magnanimitas non consistit in medio, sed in maximo: quia maximis dignificat seipsum, vt dicitur in 4. Ethicor. Ergo magnanimitas non est virtus.

¶ 2. Præterea, Qui vnã virtutem habet, habet omnes, vt supra f. habitum est. Sed aliquis potest habere aliquam virtutem, non habens magnanimitatem. Dicit enim * Philosophus in 4. Ethicor. quòd qui est paruis

645
 Infra 9.
 130. a. 2.
 co. Et 2.
 d. 42 q. 2
 ar. 4 cor.
 Et 4. di.
 33. q. 3.
 a. 2 ad 1.
 Et mal.
 q. 8 a. 2.
 co. 1.
 * 1. 4. 6. 3.
 † 1. 2. 9.
 65 ar. 1.
 * 6. 3. 6. 8.
 prin. 5. 7.